

tandi cacoethes post se trahat. Vt enim humanum ingenium proclive est ad ambitionem, quoniam disputationes cum viris illustribus magnam laudem coniunctam habere videntur, ita multi famam, quam virtute nequeunt, celebritate adversarii sibi conciliare student. Conspicias ergo adolescentulos, vixdum scholam egressos, aut doctores umbraticos aggredi viros, qui in luce versantur, et tantum eos laceessere, ut responsione saltem ab illis elicita nomen aliquod consequantur. Non affliguntur magnopere, quantumvis indignis modis accepti; sed honorem sibi etiam reputant, false et acute refutari, modo a claris adversariis id fiat.

*Magna ferunt tacitas solatia mortis ad umbras,  
A tanto cecidisse viro.*

V. Fuit hoc fatum Cuiacii, summi viri, et, qui facile inter solidioris Iurisprudentiae assertores familiam ducit, ut impares sibi semper contradictores, et *vilia tantum capita, scuticaque*, ut ipse scribit, *digna* nancisceretur. Cum inclarescere primum inciperet, cum Stephano Forcatulo, *homine insulso, et ad docendum minus idoneo*, contendere debuit. Cuius subtilitatibus et captiosis disputationibus cum pari argutia non responderet, professionem Iuris, quam in Tholosana academia ambiebat, adversario cedere necessum habuit. Sed nec apud Bituriges, ad quos concesserat, docenti deerant obrectatores et aemuli, qui partem eius gloriae suis contra illum scriptis auferre contendebant. Neque tamen inter tot hostes ullum habuit, qui ad eruditionis fastigium, quod ipse tenebat, adspiraret, praeter Hotomannum et fortassis Duarenum. Reliqui ignobiles, & ex solo hoc cum Cuiacio bello cogniti, Ioannes Robertus, quem *Cuiacius sero in orbe natum* appellat, et quem ipse sub *Antonii Mercatoris* nomine singulari libro refutat; Franc. Marsius Gordonius, et Io. Steckius, cuius impudentiam *Iac. Gothofredus*